

VIII.

Medium Conversionis est verbum Dei.

Supra laudatus Königius, hujus Academiae immortale nomen, verbum, inquit, praedicatum est causa instrumentalis, per quam Deus ordinarie conversionem vult efficere Rom. I. 16. Eph. I. 13. in tantum, ut ex Scriptura S. nullum possit proferri exemplum, quo secus doceatur, vel totas provincias & civitates, vel ullum etiam privatum hominem ORDINARIO modo fuisse conversum, nisi mediante verbo praedicato. Verbum praedicatum (εὐαγγελισθῆναι) semen est, quo homo regeneratur 1. Pet. I. 23. 25. unde Paulus etiam scribit: In Christo Jesu καὶ τὸ εὐαγγέλιόν ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα 1. Cor. IV. 15. Idem Propheta noster Jeremias docet, totus quippe in eo occupatus, ut πάντας τὴν βαβυλῶν τὸ θεῶν, quae ad salutem est, annunciet.

Hoc ipsum Dei verbum ideo confertur imbribus & nivibus, quibus inest vis inebriandi, foecunditatem atque germinationem promovendi, per amicum in terram illapsum Esa. LV. 10. 11. qua collatione indicatur illapsus verbi prophetici in animos hominum, quod analogam illi physicae, supernaturalem & divinam virtutem in se continet ad foecunditatem, germinationem & ebrietatem sive plenitudinem spiritualem: confertur ab ipso nostro Propheta cap. XXIII. 29. malleo conterenti petras, quia nimirum corda dura, lapidea, poenitere nescia emollire & commovere valet: confertur ibidem igni, qui sicut omnium elementorum est actuosissimum & efficacissimum, imo juxta Sennerum & alios recentiores naturae Mystas natura & agendi virtute agendi caelo seu caelestibus cognatum, ita verbi vis est longe maxima & penetrantissima: confertur sagittis, quae humano adactae corpori penitissime inhaerent, & acerbissimos